

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,  
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von  
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

1071

1069

1075

1065

1080

1060

1120

1020

0970

0570

0070

Ende

Anfang

498

dextro latere. Post hoc per medium ecclesiae descendimus ad extremam columnam Julii, juxta quam orationibus ad mōrulam vacantes indulgentias accepimus (†). De hac descendimus ad columnam Augusti et circa eam sanctos pro indulgentiis rogavimus (†) et, ut speramus, exauditi fuimus. Deinde ad columnam Septembbris processimus et instantius pro indulgentiis rogavimus (†) et exauditi, speramus, fuimus. Ab illa ad columnam Octobris ascendimus et ibi genubus flexis sanctos, ut pro nobis orarent, invocavimus et indulgentias suscepimus (†). Surreximus inde et columnam Novembbris accessimus et pro indulgentiis instetimus (†). De hac ad supremam et ultimam ecclesiae columnam ascendimus et sanctos mensis Decembris venerati sumus (†). De ecclesia consequenter in chorum monachorum ascendimus et coram summo altari strati etiam ibi divinam misericordiam imploravimus et indulgentias accepimus (†). Est autem altare chori consecratum in honorem Constantini Magni Imperatoris et Helenae matris ejus, quos Graeci summo honore venerantur.

Praescriptas indulgentias dederunt illi ecclesiae et capellis summi pontifices a Graecis rogati, vel ad rogatum patriarchae Alexandrini, qui communiter Romae moratur.

Ultimo regressi sumus ad sepulchrum gloriosae virginis S. Catharinae et deosculati sumus ejus sacram tumbam et finem processioni fecimus. Notandum autem, quod non solum illo die, sed omnibus diebus et saepe in una die ad omnia praefata loca indulgentiarum transivimus, sed dies illa fuit dies processionis solemnis.

Processione finita ad habitaculum nostrum ascendimus et cibos paravimus pro prandio et mature ad prandium consedimus, quia omnes illo die communicavimus corpus Domini. Sedentibus autem nobis ad mensam venerunt duo monachi conventus, missi ad nos a patre monasterii cum propinis et portaverunt apofteretam refertam cum tortis panibus, qui erant confecti cum speciebus, sicut lebetum, et cum dactylis et ficubus, uvis et botris, quae nescio unde tulerint et (cum) curialitate (59 a) obtulerunt nobis. Accepimus autem haec cum reverentia et portatoribus aliquot madinos dedimus. Finito prandio accersivimus Calinum et rogavimus, ut amplius

